

1263. Ambo juvenes spatio, quod vacui interjacebat campi, adversos concitant equos; quumque infestis cuspidibus concurrissent, Manlio cuspis super galeam hostis elapsa est; Metio trans cervicem equi. Circumactis deinde equis, quum prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset, spiculum inter aures equi fixit. Ad cujus vulneris sensum quum Metii equus prioribus pedibus erectis magna vi caput quateret, excussit equitem; quem cuspide parmaeque innixum seque attollentem ab gravi casu Manlius ab jugulo ita, ut per costas ferrum emereret, terrae affixit; spoliisque lectis, ad suos re-
 vectus cum ovante prae gaudio turma in castra atque inde ad praetorium tendit; ignarusque, laudem¹ an poenam meritis esset: «ut me omnes, inquit, tuo, pater, sanguine ortum vere ferrent, provocatus haec spolia ex hoste caeso porto».

1264. Quod ubi audivit consul, extemplo filium aversatus concionem classico advocari jussit. Quae ubi frequens convenit: «quandoque, inquit, tu, T. Manli, neque imperium consulare neque majestatem patriam veritus, adversus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti et, quantum in te fuit, disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, solvisti, meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut reipublicae mihi aut mei meorumque obliviscendum sit; nos potius nostro delicto plectemur, quam respublica tanto suo damno peccata luat.

1265. «Triste exemplum, sed in posterum salubre juventuti erimus. Me quidem in te movet quum ingenita caritas liberum tum specimen istud virtutis, quod deceptus vana imagine decoris exhibuisti. Sed quum aut morte tua sancienda sint consulim imperia aut impunitate in perpetuum abroganda, siquid in te nostri sanguinis est, non te censeo recusaturum, quin² disciplinam militarem, culpa tua prolapsam, poena restituas. I, lictor, deliga ad palum».

1266. Exanimati omnes tam atroci imperio, nec aliter quam in se quisque dstrictam cernentes securim, metu magis quam

¹ Vide n. 333, b.

² Vide n. 350 et 212.

modestia quievire. Itaque velut emerso ab admiratione animo, postquam cervice caesa fusus est cruor, libero conquestu coortae voces sunt, ut¹ neque lamentis neque execrationibus parceretur, spoliisque contectum juvenis corpus, quantum militaribus studiis funus ullum celebrari poterat, structo extra vallum rogo cremaretur. Manlii autem imperia non in praesentia modo horrenda, sed exempli etiam tristis in posterum habita sunt. (LIV.)

Quaerenda vita beata.

1267. Vivere omnes beate volunt, sed ad pervidenda ea, quae beatam vitam efficiunt, caligant. Adeo non est facile consequi beatam vitam, ut ab ea quisque eo longius recedat, quo ad illam concitatus fertur, si via lapsus est. Proponendum est itaque primum quid appetamus; tunc circumspiciendum est, qua contendere illo celerrime possimus, intellecturi² in ipso itinere, quantum quotidie proficiamus, quantoque propius ab eo simus, ad quod nos cupiditas naturalis impellit.

1268. Quamdiu passim vagamur non ducem sequuti, sed fremitum in diversa vocantium, conteritur vita inter errores. Decernatur itaque et quo tendamus et qua, non sine perito duce, cui explorata sint ea, in quae procedimus; quoniam non eadem hic, quae³ in ceteris peregrinationibus conditio est: in illis limen non patitur errare; at hic vel tritissima via maxime decipit.

1269. Nihil ergo magis praestandum, quam ne pecudum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur. Emendabitur traditus per manus error, si modo separemur a coetu, quia stat contra rationem defensor mali sui vulgus. Itaque id evenit, quod in comitiis, in quibus factos praetores iidem qui³ fecere mirantur, quum mobilis favor circumegit. Eadem probamus, eadem reprehendimus: hic exitus est omnis iudicii, quod secundum plures datur. (SEN.)

De causis rerum.

1270. Dicunt Stoici duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant: causam et materiam. Materia jacet iners ad

¹ Vide n. 387.

² Vide n. 382, a.

³ Vide n. 68, b.

omnia parata, cessatura, si nemo moveat. Causa autem materiam format et, quocumque vult, versat.

1271. Aristoteles putat causam tribus modis dici: prima, inquit, causa est materia, sine qua nihil potest effici; secunda opifex; tertia est forma, quae unicuique operi imponitur, tamquam statuae. Quarta quoque, inquit, his accedit propositum totius operis.

1272. Quid sit hoc aperiam? Aes prima statuae causa est; numquam enim facta esset, nisi fuisset id, ex quo duceretur. Secunda causa artifex est; neque enim potuisset aes illud in habitum¹ statuae figurari, nisi accessissent peritae manus. Tertia causa est forma; neque enim statua ista Diana vocaretur, nisi haec illi esset impressa facies. Quarta causa est faciendi propositum; nam, nisi hoc fuisset, facta non esset.

1273. Quid est propositum? Quod invitavit artificem; quod ille sequutus fecit. Vel pecunia est hoc, si venditurus fabricavit; vel gloria, si laboravit in nomen²; vel religio, si donum templo paravit. Ergo et haec causa est, propter quam fit. An non putas inter causas facti operis esse numerandum, quo³ remoto, factum non esset? His quintam Plato adjicit exemplar, quam ipse ideam vocat; hoc est enim, ad quod respiciens artifex, id quod destinabat effecit. Nihil autem ad rem pertinet, utrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos, an intus, quod sibi ipse concepit. (SEN.)

Eruditio oratoria.

1274. Sunt qui putent sufficere, ut, si causa tempusque inciderit, in quibus opus erit artium cognitione, eam tunc e libris petere studeamus. Sed ii vehementer errant; nam aliter utimur propriis, aliter commodatis. Longeque interest, possideat⁴ quis, quae profert, an mutuetur. Deinde ipsa multarum rerum scientia et aliud agentes nos ornat et, ubi minime credas, eminet; idque non doctus modo auditor, sed etiam populus

¹ Vide n. 178, c. ² Vide n. 178, d. ³ Vide n. 301, b. ⁴ Vide n. 335, a et 333, b.

intelligit; atque ita laude prosequitur, ut per omnes eloquentiae numeros iisse oratorem fateatur.

1275. Quam laudem alius non assequetur, nisi qui tamquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit. Quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum fex quoque quotidiani sermonis deprehendatur; ut ignorent leges; non teneant senatus consulta; jus civitatis ultro derideant; sapientiae vero studium penitus reformident; denique eloquentiam detrudant regno suo, ut¹, quae olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu splendebat, nunc male mulcata jaceat sine honore ac paene dixerim sine ingenuitate. (TAC.)

Profligatio Caesaris.

1276. Proeliantibus acriter Pompejanis, equitatus Caesaris, quod angusto itinere per aggeres ambo exercitus ascendebant, receptui suo timens initium fugae fecit. Dextrum cornu, terrore equitum animadverso, ne intra munitionem opprimeretur, qua parte proruit, eadem se recepit: ac plerique ex iis, ne in angustias inciderent, sese in fossas munitionis praecipitarunt; primisque oppressis, reliqui per horum corpora exitum sibi et salutem pepererunt.

1277. Sinistri cornu milites cum suos fugere cernerent, veriti ne angustiis intercluderentur, eodem, quo venerant, receptui consuluerunt. Omnia erant tumultus, timoris, fugae plena adeo, ut ne Caesar quidem imperio coërcere militum fugam posset. Atque hoc fuit praesidio², quominus³ omnis exercitus deleretur, quod Pompejus insidias timens (credo, quod haec praeter spem acciderant) munitionibus appropinquare non audebat; equitesque ejus, portis a Caesare occupatis, ad insequendum tardabantur. (CAES.)

Caesar Pompejum hortatur ad pacem.

1278. L. Vibullius, Pompeji praefectus, bis in potestatem pervenerat Caesaris atque ab eo erat dimissus, semel ad Corni-

¹ Vide n. 386. ² Vide n. 229, a. ³ Vide n. 353, c.

ficium, iterum in Hispaniam. Hunc pro suis¹ beneficiis Caesar judicaverat idoneum, quem² cum mandatis ad Pompejum mitteret. Erat autem haec summa mandatorum:

1279. Debere utrumque pertinaciae finem facere et ab armis discedere neque amplius fortunam periclitari. Satis magna utriusque incommoda esse accepta, quae pro disciplina habere possent, ut reliquos casus timerent. Illum ab Italia expulsum, amissa Sicilia et Sardinia duabusque Hispaniis et cohortibus civium centum et triginta.

1280. Se morte Curionis afflictum et detrimento Africani exercitus, militum deditioe ad Corcyram. Proinde sibi ac reipublicae parcerent, quantumque in bello fortuna posset, jam ipsi incommodis suis satis essent documento³. Hoc unum esse tempus de pace agendi, dum pares ambo viderentur; si vero alteri paulum modo fortuna tribuisset, non fore aequa parte contentum, qui se omnia habiturum confideret. Conditiones pacis Romae a senatu et populo peti debere.

(CAES.)

Pugna cum facibus.

1281. Concusserat primo statim congressu dictator hostem; quum repente, patefactis Fidenarum portis, facibus armata multitudo erumpit ac velut fanatico instincta cursu in hostem ruit. Forma insolitae pugnae Romanos exterruit, cessitque parumper flammis sinistrum cornu. Tunc dictator, accito e montibus magistro equitum, accurrit ad incendium et: «fumone, inquit, velut examen apum, exigemini? Vertite incendium hoc in hostium urbem et suis⁴ flammis delete Fidenas.»

1282. Ad imperium dictatoris mota cuncta acies. Multae faces eripiuntur hosti; utraque acies armatur igni. Magister equitum, frenos ut detrahant equis, imperat et ipse effreno equo, calcaribus subditis, in medios ignes infertur; sequuntur equites libero cursu. Pulvis elatus mixtusque fumo lucem ex oculis aufert: ea, quae militem terruerat species, nihil terruit equos.

¹ Vide n. 83 et 84.

² Vide n. 265, b.

³ Vide n. 229, a.

⁴ Vide n. 81, b.

1283. Ruinae igitur similem stragem eques, quacumque pervaserat, dedit. Tunc novus coortus clamor, hostem ab tergo adoriri: quum neque in castra retro neque in montes iter fugae esset, Vejentium maxima pars Tiberim effusi¹ petunt. Fidenatum qui supersunt, ad urbem Fidenas fugiunt; infert pavidos fuga in mediam caedem: obruncantur in ripis; alios in aquam compulsos gurgites ferunt; etiam peritos nandi² lassitudo et vulnera et pavor degravant; pauci ex multis tranant. (LIV.)

Capitolium servatur.

1284. Dum Vejis militatur, interim Romae in magno periculo arx fuit; namque Galli, animadverso, ad Carmentae³, saxo ascensu aequo, quum inermem, qui⁴ tentaret viam, nocte sublustris praemisissent, sublevantes invicem et trahentes alii alios in summum evasere tanto silentio, ut non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem, sollicitum animal, ad nocturnos strepitus concitarent.

1285. Anseres non fefellerent; quae res saluti fuit. Nam clangore eorum alarumque crepitu excitus M. Manlius, vir bello egregius, ad arma ceteros ciens vadit; ac, dum ceteri trepidant, Gallum, qui jam in summo constiterat, umbone ictum deturbat; proximos saxa manibus amplexos trucidat. Jamque congregati multi militum hostem telis proturbare⁵ aciemque totam in praecipuum dare.

1286. Sedato deinde tumultu, reliquum noctis⁶ (quantum in turbatis mentibus praeteritum periculum patiebatur) quieti datum est. Luce orta, vocatis classico ad concilium militibus, Manlius ob virtutem laudatus donatusque est ab tribunis militum; cui universi selibras farris et quartarios vini ad aedes ejus, quae in arce erant, contulerunt. Tum vigiles ejus loci, qua fefellerat ascendens hostis, citati sunt; et Q. Sulpicius unum vigilem, in quem milites culpam conjecerunt, reum haud dubium ejus noxae, approbantibus cunctis, de saxo dejecit. (LIV.)

¹ Vide n. 10.

² Vide n. 128, c.

³ Vide n. 163, a.

⁴ Vide n. 352, a.

⁵ Vide n. 314, a.

⁶ Vide n. 35, a.

Matronae spargunt venena.

1287. Seu intemperie coeli seu humana fraude quum multi mortales perirent, ancilla quaedam ad Q. Fabium aedilem curulem indicaturam se¹ causam pestis professa est, si fides sibi² daretur haud futurum noxae³ indicium. Fabius confestim ad consules, consules ad senatum referunt; qui fidem indici dedit. Tum patefactum ab ancilla est muliebri fraude civitatem premi; et si sequi extemplo velint, manifesto deprehendi posse.

1288. Sequuti indicem quasdam⁴ invenerunt coquentes venena, quibus in forum delatis et ad⁵ viginti matronis per viatorem accitis, duae ex iis, Cornelia et Sergia, quum ea medicamenta salubria esse contenderent, ab confutante indice bibere jussae, epoto medicamento, suamet ipsae fraude interierunt. (LIV.)

Legio linteata.

1289. Ad Aquiloniam quadraginta millia militum, quod roboris⁶ in Samnio erat, convenerunt. Ibi mediis fere castris locus est conseptus cratibus et linteis contactus, patens ducentos maxime pedes⁷. Ibi ex libro linteo sacrificatum est, sacerdote Ovio Pactio⁸, homine magno natu, qui se id sacrum petere affirmabat ex vetusta Samnitium religione. Sacrificio perfecto, imperator acciri jubebat nobilissimum quemque ac singulos introduci.

1290. Erant in loco circa omni contacto arae victimaeque circa caesae et circumstantes centuriones strictis gladiis. Admovebatur altaribus miles, magis ut victima quam ut sacri particeps. Dein jurare cogebatur diro carmine in execrationem capitis composito, nisi isset in proelium aut siquem ex acie fugientem vidisset, non extemplo occidisset. Id primo quidam abnuentes juraturos se, obtruncati circa altaria sunt; jacentes deinde inter stragem victimarum documento⁹ ceteris fuere, ne

¹ Vide n. 75, a. ² Vide n. 77, b. ³ Vide n. 229, a. ⁴ Vide n. 15.

⁵ Vide n. 163, b. ⁶ Vide n. 62. ⁷ Vide n. 288, b. ⁸ Vide n. 376, b.

⁹ Vide n. 229, a.

abnuerent. Ea legio linteata ab integumento consepti loci appellata est. His arma insignia data et cristatae galeae, ut inter ceteros eminent. (LIV.)

Initur consilium occidendi Hannibalis.

1291. Deversatus Hannibal est apud Ninnios Pacuviumque, inclytos nobilitate ac divitiis. Eo Calavius, princeps factionis, quae traxerat rem ad Poenos, Perollam filium adduxit, qui ferocissime pro Romana societate adversus punicum foedus steterat. Huic pater juveni placavit Hannibalem, qui victus patriis precibus lacrymisque etiam ad coenam eum cum patre vocari jussit. Coeperunt epulari de die; atque, omnibus perpotantibus¹, unus Calavii filius Perolla persuaderi non potuit, ut largius biberet, valetudinem causans.

1292. Solis ferme occasu patrem Calavium ex convivio egressum sequutus Perolla, ubi ad hortum pervenerunt, qui erat ad posticum: affero, inquit, consilium, pater, quo non veniam solum, quod defecimus ad Hannibalem, impetraturi ab Romanis, sed in majore gratia simus Campani, quam umquam fuimus. Quum mirabundus pater, quidnam id esset, quaereret; toga rejecta ab humero, latus succinctum gladio nudat et: «jam ego, inquit, sanguine Hannibalis sanciam foedus Romanum. Te id prius scire volui, si forte abesse, dum facinus patratur, malles».

1293. Quae ubi audivit senex, velut si jam agendis, quae audiebat, interesset, amens metu: per ego te, inquit, quaecumque jura liberos jungunt parentibus, precor quaeoque, ne ante oculos patris facere et pati omnia infanda velis. Num ideo ante paucas horas dextrae dextram jungentes fidem obstrinximus, ut digressi ab colloquio in eum extemplo manus armaremus? Ab hospitali mensa surgis, ad quam tertius Campanorum adhibitus es ab Hannibale, ut eam ipsam mensam cruentares hospitibus sanguine?

1294. Sed non sit² fides, non religio, non pietas; audeantur infanda, si non perniciem nobis cum scelere afferunt. Unusque

¹ Vide n. 375, b.

² Vide n. 256, e.

es aggressurus Hannibalem? Quid illa turba liberorum servorumque? Vultum ipsius Hannibalis, quem armati exercitus sustinere nequeunt, tu solus sustinebis? Ut alia auxilia desint, meum ego pectus pro corpore Hannibalis opponam; num per meum vulnus petendus ille tibi est?

1295. Lacrymantem inde juvenem amplectitur atque osculo haerens non ante precibus abstinit, quam pervicit, ut, deposito gladio, fidem daret nihil facturum tale. Tunc juvenis: «ego, inquit, quam patriae debeo pietatem, parenti exsolvam. Tu, patria, ferrum, quod pro te strinxeram, quando parens extorquet, recipe.» Atque haec dicens gladium in publicum trans maceriam horti abjecit et, quo minus¹ res suspecta esset, se ipse convivio reddidit. (LIV.)

Terror in urbe, Hannibale propinquante.

1296. Hannibal praeter Cales diem unum populando² moratus ad urbem cum exercitu contendit. Romam Fregellanus nuntius, celerrimo itinere, ingentem attulit terrorem. Tumultuosius, quam nuntiatum erat, cursus hominum affigentium vana auditis totam urbem conciverat.

1297. Ploratus mulierum non ex privatis solum domibus exaudiebatur, sed undique matronae in publicum effusae circa deum delubra discurrunt, crinibus passis aras verrentes, nixae genibus, supinas manus ad coelum tendentes orantesque, ut urbem Romanam e manibus hostium eriperent. Senatus magistratibus in foro praesto est, si quid consulere velint. Alii accipiunt imperia disceduntque ad suas quisque partes; alii offerunt se, si quo³ usus opere⁴ sit. Praesidia in arce, in Capitolio, in muris circa urbem, in monte etiam Albano atque arce Aesulana ponuntur.

1298. In hoc tumultu Flaccus urbe egressus inter Esquilinam Collinamque portam posuit castra, quo senatus venit deque summa republica consultavit. Inter haec Hannibal ad

¹ Vide n. 353, c. ² Vide n. 383, a. ³ Vide n. 209, c. ⁴ Vide n. 37, a.

Aniensem fluvium, tria millia¹ passuum ab urbe, castra admovit, unde postero die in aciem omnes copias eduxit. Consules certamen non detrectavere; sed imber ingens grandine mixtus ita utramque aciem turbavit, ut vix, armis retentis, in castra sese receperint. In religionem ea res apud Poenos versa est, auditaque vox Hannibalis: potiundae sibi urbis modo mentem non dari, modo fortunam. (LIV.)

Excidium Astapae.

1299. Quum Marcius ad Astapam oppugnandam admovisset exercitum, oppidani, quia nec deditio tuta ad tam infestos videbatur nec spes moenibus aut armis tuendae salutis, facinus in se ac suos foedum consciscunt². Locum in foro destinant, quo pretiosissima rerum suarum congererent. Super eum cumulum conjuges ac liberos considerare quum jussissent, ligna circa exstruunt fascisque virgultorum conjiciunt.

1300. Quinquaginta deinde armatis praecipiunt, ut, donec incertus eventus pugnae esset, praesidium eo loco fortunarum suarum corporumque servarent. Si rem inclinatum viderent, atque in eo jam esse, ut urbs caperetur, nihil relinquerent, in quo saevire hostis posset. Ferrum ignemque in manibus esse; amicae potius, quae peritura essent, manus absumerent, quam insultaret ludibrio hostis. (LIV.)

Corrupti civium mores.

1301. Postquam divitiae honori esse coepere, hebescere virtus, paupertas probro haberi coepit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria atque superbia invasere: rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, nihil pensi atque moderati habere³. Operae pretium est, quum domos atque villas cognoveris, visere templa deorum, quae nostri majores fecere.

1302. Verum illi religiosissimi mortales delubra deorum pietate, domos virtute decorabant; neque victis quidquam praeter injuriae licentiam eripiebant. At hi contra ignavissimi

¹ Vide n. 287, b. ² Vide n. 370, b. ³ Vide n. 314, a.

homines per summum scelus omnia ea sociis adimere¹, quae fortissimi viri victores hostibus reliquerant; proinde quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti. Nam quid ea memorem, quae nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt, a privatis compluribus subversos montes, maria constructa esse? Quibus mihi ludibrio² videntur fuisse divitiae; quippe, quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properarunt. (SALL.)

Conjurati strangulantur.

1303. Postquam senatus in sententiam Catonis discessit, qui necandos³ censebat conjuratos, consul optimum factu ratus noctem, quae instabat, antecapere, nequid eo spatio novaretur; triumviros necessaria supplicio parare jussit. Ipse, dispositis praesidiis, Lentulum in carcerem deducit.

1304. Est locus in carcere, quod⁴ Tullianum appellatur, circiter duodecim pedes⁵ humi depressus: eum muniunt undique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus; in eum locum postquam demissus est Lentulus, ii, quibus praeceptum erat, laqueo ei gulam fregere. Ita ille patricius ex clarissima gente Corneliorum, qui consulare imperium Romae habuerat, dignum moribus factisque suis exitum vitae invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Caepario eodem modo supplicium sumptum est. (SALL.)

Mariani milites murum subeunt.

1305. Dum arcem Capsae Marius obsidet, forte quidam Ligus, miles gregarius, castris aquatum⁶ egressus, animadvertit inter saxa repentes cochleas haud procul ab latere castelli; quarum quum unam atque alteram, dein plures peteret, studio legendi prope ad summum montis escendit. In eo loco grandis ilex coaluerat inter saxa, paululum prona, cujus ramis modo, modo eminentibus saxis nisus Ligus castelli planitiem perscribit⁶. Exploratis, quae mox usui forent, eadem regre-

¹ Vide n. 314, a. ² Vide n. 229, a. ³ Vide n. 339, a. ⁴ Vide n. 21, a.
⁵ Vide n. 356, a. ⁶ Vide n. 266, b.

ditur non temere, uti ascenderat, sed tentans omnia et circumspiciens.

1306. Itaque Marium propere adit actaque edocet: hortatur, ea parte, qua ipse descenderat, castellum tentet¹; pollicetur sese itineris periculique ducem. Marius cum Ligure promissa ejus² cognitum delectos mittit, qui rem haud difficilem factu quum docuissent, consulis animus erectus est. Itaque dat Liguri milites, qui eo duce ascensum tentent. Pergit ad locum Ligus cum delectis; arma mutaverant, caput pedesque nudaverant, ut nisus per saxa facilius foret; super terga gladios gerebant et scuta, atque ea ex corio, ponderis gratia et quo³ levius offensa streperent.

1307. Igitur praegrediens Ligus saxa et siquae radices eminebant laqueis vinciebat, quibus allevati milites escenderent. Diu multumque fatigati tandem in castellum perveniunt desertum, quod omnes adversum hostes ierant. Quare Romanis hostibusque proelio intentis, repente a tergo signa canere; ac primo mulieres et pueri, qui visum processerant, fugere; deinde, ut quisque muro proximus erat, postremo cuncti armati inermesque. Quod ubi accidit, eo acrius Romani instare⁴, fundere ac plerosque sauciare; dein super occisorum corpora vadere, avidi gloriae certatim murum petere. (SALL.)

Voluptas agriculturae.

1308. Me quidem non fructus modo, sed etiam ipsius terrae vis ac natura delectat; quae, quum semen gremio subacto sparsum exceptit, primum id occaecatum cohibet, ex quo occatio nominata est; deinde tepefactum vapore et compressu suo diffundit et elicit herbescentem ex eo viriditatem, quae nixa fibris stirpium sensim adolescit culmoque erecta geniculato vaginis jam quasi pubescens includitur; e quibus quum emersit, fundit frugem spici, ordine structam et contra avium morsus munitam vallo aristarum.

¹ Vide n. 336, c. ² Vide n. 86. ³ Vide n. 351, c. ⁴ Vide n. 314, a.

1309. Quid ego vitium satus, ortus, incrementa commemorem? Omitto vim ipsam omnium, quae generantur e terra: quae ex fici tantulo grano aut ex acino vinaceo aut ex ceterarum frugum ac stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreat. Vitis quidem, quae natura caduca est et, nisi¹ fulta sit, ad terram fertur, eadem ut se erigat, claviculis suis quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur: quam serpentem multiplici lapsu et erratico ferro amputans coërcet ars agrorum, ne silvescat sarmentis et in omnes partes nimia frundatur.

1310. Itaque, ineunte vere, in iis, quae relicta sunt, existit tamquam ad articulos sarmentorum ea, quae gemma dicitur; a qua oriens uva sese ostendit, quae et succo terrae et calore solis augescens primo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit; vestitaque pampinis nec modico tepore caret et nimios solis defendit ardores. Qua quid potest esse tum fructu laetius, tum aspectu pulchrius? Cujus non utilitas me solum, ut ante dixi, sed etiam cultura et ipsa natura delectat. (CIC.)

Utilitas amicitiae.

1311. Multi perverse, ne dicam impudenter, amicum habere talem volunt, quales ipsi esse non possunt; quaeque ipsi non tribuunt amicis, haec ab illis desiderant. Par est autem primum ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quaerere. In talibus ea, quam tractamus, stabilitas amicitiae confirmari potest: quum homines benevolentia conjuncti primum cupiditatibus iis, quibus ceteri serviunt, imperabunt, deinde aequitate justitiaeque gaudebunt, omniaque alter pro altero suscipiet, neque quidquam nisi honestum alter ab altero postulabit, neque solum se colent ac diligent, sed etiam verebuntur. Nam maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam.

1312. Itaque perniciosus est eorum error, qui existimant peccatorum omnium patere in amicitia licentiam. Virtutum

¹ Vide n. 363, b.

amicitia adiutrix a natura data est, non vitiorum comes, ut, quoniam solitaria non posset virtus ad ea, quae summa sunt, pervenire, consociata cum altera perveniret. (CIC.)

Utilitas parsimoniae.

1313. Non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia. Capis tu ex tuis praediis sexcentos sestertios; ego centenos ex meis; tibi, aurata tecta in villis et sola marmorea facienti et signa, tabulas, supellectilem infinite concupiscenti, non modo ad sumptum exiguus est ille fructus, sed etiam ad foenus. Ex meo tenui vectigali, detractis sumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Uter igitur est ditior: cui deest an cui superat? qui eget an qui abundat?

1314. Non esse cupidum pecunia est; non esse emacem vectigal est; contentum vero suis rebus esse certissimae sunt divitiae. Etenim si isti callidi rerum aestimatores prata et areas magno¹ aestimant, quod ei generi possessionum minime noceri² potest; quanti est aestimanda virtus, quae numquam potest subripi neque naufragio neque incendio amittitur nec temporum perturbatione mutatur? (CIC.)

„Cedant arma togae.”

1315. Quoniam te non Aristarchum, sed Phalarim grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum versum, sed poëtam armis persequere, scire cupio, quid tandem isto in versu reprehendas «cedant arma togae»? Meae togae dicis summum imperatorem esse cessurum. Quid nunc te, asine, litteras doceam? Non dixi hanc togam, quam sum indutus, nec arma, gladium unius imperatoris, sed togam insigne pacis, arma autem belli. More poëtarum loquutus intelligi volui bellum paci esse concessurum. (CIC.)

De scribendo ante dicendum.

1316. Videmus alios oratores inertia nihil scripsisse, ne domesticus labor accederet ad forensem; pleraeque enim scri-

¹ Vide n. 225, c.

² Vide n. 319, b.

buntur orationes habitae jam non, ut habeantur; alios non laborare, ut meliores fiant, nulla enim res tantum ad dicendum proficit quantum scriptio; memoriam autem in posterum ingenii sui non desiderant, quum se putent satis magnam adeptos esse dicendi gloriam, eamque majorem visum iri, si in existimantium arbitrium sua scripta non venerint.

1317. Denique sunt qui nihil scribant, quia melius putent dicere se posse quam scribere; id quod peringeniosis hominibus nec satis doctis plerumque contingit; ut ipsi Galbae, quem fortasse vis non ingenii solum, sed etiam animi et naturalis quidam dolor dicentem incendebat, efficiebatque, ut et incitata et gravis et vehemens esset oratio. Dein quum otiosus stilum prehendat, motusque omnis animi tamquam ventus hominem defecerat, flaccescebat oratio, quod iis, qui limatius dicendi genus sectantur, accidere non solet, propterea quod prudentia nunquam deficit oratorem; qua ille utens eodem modo possit et dicere et scribere. (Cic.)

Dotes oratoriae.

1318. Scauro et Rutilio quidem non omnino ingenium, sed oratorium ingenium defuit. Neque enim refert videre, quid dicendum sit, nisi id queas solute et suaviter dicere; ne id quidem satis est, nisi id quod dicitur, sit voce, vultu, motuque conditius. Quid dicam opus esse doctrina? sine qua etiamsi quid bene dicitur, adjuvante natura, tamen id, quia fortuito fit, semper paratum esse non potest.

1319. In Scauri oratione, sapientis hominis et recti¹, gravitas summa et naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut causam, sed ut testimonium dicere putares. Sed hoc dicendi genus ad patrocina mediocriter aptum videbatur; ad senatoriam vero sententiam, cujus erat ille princeps, vel maxime. Significabat enim non prudentiam solum, sed quod maxime rem continebat, fidem. Habebat hoc a natura ipsa, quod a doctrina non facile posset. (Cic.)

¹ Vide n. 309, b.

Eloquentia Antonii.

1320. Ego sic existimo Antonium Crassumque oratores fuisse maximos et in his primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatam. Omnia veniebant Antonio in mentem; eaque suo quaeque loco, ubi plurimum valere possent, collocabat, ut imperator equites, pedites levemque armaturam. Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio; imparatus semper aggredi ad dicendum putabatur; sed ita erat paratus, ut iudices, illo dicente¹, nonnumquam viderentur non satis parati ad cavendum fuisse.

1321. Verba ipsa, non illa quidem elegantissimo sermone, sed propria oratoris. In verbis eligendis et collocandis et comprehensione devinciendis nihil non ad rationem et tamquam ad artem dirigebat, verum multo magis hoc idem in sententiarum ornamentis et conformationibus.

1322. Sed quum haec magna in Antonio tum actio singularis; quae si partienda est in gestum atque vocem, gestus erat cum sententiis congruens: manus, humeri, latera, suppletio pedis, status, incessus, omnis motus cum rebus sententiisque consentiens; vox permanens, verum subrauca natura; sed hoc vitium huic uni in bonum convertebat. Habebat enim flebile quiddam aptumque quum ad fidem faciendam tum ad misericordiam movendam. (Cic.)

Eloquentia Crassi.

1323. Antonio alii parem esse dicebant, alii anteponebant L. Crassum. Illud quidem certe omnes iudicabant neminem esse, qui horum alterutro patrono² cujusquam ingenium requireret. Equidem, quamquam Antonio tantum tribuo, quantum supra dixi, tamen Crasso nihil statuo fieri posse perfectius.

1324. Erat summa gravitas, erat cum gravitate junctus facetiarum et urbanitatis oratorius non scurrilis lepos; Latine

¹ Vide n. 375, b.

² Vide n. 376, b.

loquendi accurata et sine molestia diligens elegantia; in deserendo mira explicatio; quum de jure civili, quum de aequo et bono disputaret, argumentorum et similitudinum copia.

1325. Nam ut Antonius in conjectura movenda et in sedanda suspicione vel excitanda incredibilem vim habebat; sic in interpretando, in definiendo, in explicanda aequitate nihil erat Crasso copiosius; idque quum saepe alias tum apud centumviros in M' Curii causa cognitum est. (CIC.)

Educatio oratoria Ciceronis.

1326. Quum princeps Academiae, Philo, Mithridatico bello domo profugisset Romamque venisset, totum ei me tradidi admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus. Eodem anno Moloni Rhodio Romae dedi operam, et actori summo causarum et magistro. Triennium fere fuit urbs sine armis, sed oratorum aut interitu aut discessu aut fuga primas¹ in causis agebat Hortensius; Piso saepe dicebat; minus saepe Pomponius, raro Carbo, semel aut iterum Philippus. At vero ego hoc tempore omni noctes² et dies in omnium doctrinarum meditatione versabar.

1327. Habitabat apud me Stoicus Diodotus, a quo in dialectica studiosissime exercebar, quae quasi contracta et adstricta eloquentia putanda est. Huic ego doctore ita eram deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) saepe cum M. Pisone aut cum aliquo quotidie; idque faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius; vel quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat; vel quod a Graecis doctoribus, nisi Graece dicerem, corrigi non possem.

1328. Recuperata republica, nos ad causas et privatas et publicas adire coepimus. Prima pro Sex. Roscio dicta tantum commendationis habuit, ut nulla esset, quae non digna patrocinio nostro videretur.

¹ Vide n. 15.

² Vide n. 283, b.

1329. Erat eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis, procerum et tenue collum; qui habitus non procul abesse putatur a vitae periculo, si accedit labor et laterum magna contentio. Eoque magis hoc eos, quibus eram carus, commovebat, quod omnia sine remissione, vi summa vocis et totius corporis contentione dicebam. Itaque quum me et amici et medici hortarentur, ut causas agere desisterem; quodvis potius periculum mihi¹ adeundum, quam a sperata dicendi gloria discedendum putavi.

1330. Quum essem biennium versatus in causis, et jam in foro celebratum meum nomen esset, veni Athenas sexque menses cum Antiocho, Academiae prudentissimo philosopho, fui, studiumque philosophiae, hoc summo auctore², renovavi; eodemque tempore apud Demetrium Syrum, non ignobilem dicendi magistrum, studiose exerceri solebam.

1331. Post peragravi Asiam et multos audivi, quibus non contentus Rhodum veni meque ad eundem, quem Romae audiveram, Molonem, applicavi, quum actorem in veris causis praestantem tum in notandis vitiis docendoque prudentissimum. Is dedit operam (si modo id consequi potuit), ut nimis redundantes nos et superfluentes juvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret et quasi extra ripas diffluentes coërceret. Ita recepi me biennio post non modo exercitior, sed prope mutatus. (CIC.)

Veteres de divina providentia.

1332. Sunt philosophi et hi quidem magni atque nobiles, qui deorum mente atque ratione omnem mundum administrari et regi censeant. Neque vero id solum, sed etiam ab iisdem vitae hominum consuli et provideri: nam fruges et reliqua, quae terra pariat, et tempestates et temporum varietates coelique mutationes, quibus omnia, quae terra gignat, maturata pubescant, a diis immortalibus tribui generi humano putant; quasi ea dii immortales ad usum hominum fabricati esse videantur.

¹ Vide n. 129, a et 229, b.

² Vide n. 376, b.